31
9-C
19

6
36 C
40

37-9-E.10

31-9.C.19

Digitized by Google

Ma 158 f

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS MELCHIORIS MADERI

EQUESTRIA,

SIVE

de

ARTE EQUITANDI

Libri Duo,

AD

JOAN. ANTONIUM, L. B. AB EGGENBERG.
GEORG. BERNARDUM, URSENPECKH, L. B.
WOLFENGELBRECHTUM, L. B. IN AUERSPERG.
JOAN. UDALRICUM, AB ERNAUU. &c.

SEGODUNI
excudit
SIMON HALBMAYER,
ANNO
cIↄ Iↄc XXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ILLUSTRISS.
GENEROSISS. NOBI-
LISSIMIS
JUVENTUTIS
PRINCIPIBUS
D. D. D. D.

DO-

DOMINO
JOANNI AN-
TONIO
LIBERO BARONI
AB
EGGENBERG,
IN
ADELSBERG, HERBERSDORF
&
EHRNHAUSEN:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A 2 DO-

Digitized by Google

DOMINO

GEORGIO

BERNARDO URSENPECKH

LIBERO BARONI

IN

POTSCHACH

UARTTEN ET LIECHTENSTAIN,

LOSCHENTHAL, LAVEMUND

&

NIDER-TRIXEN

ARCHIDUCATUS

STYRIÆ

ARCHITRICLINO

HÆREDITARIO:

DO-

Digitized by Google

DOMINO

VOLFGANGO

ENGELBRECHTO

LIBERO BARONI

IN

AUERSPERG,

DOMINO

in

SCHONBERG;

ARCHIDUCATUS

CARNIOLÆ,

&

MARCHIÆ

SCLAVONICÆ

MARESCALLO ET CAMERARIO

HÆREDITARIO:

DOMINO
JOANNI
UDALRICO
AB
ERNAUU,
IN
PROGRAD, MOSBURG
&
GLANEGG,
EQUITI
CARINTHO:

D.D.

D. D. D. D.

MEIS

CLEMENTIBUS

&

GRATIOSIS,

D. D. D.

JOANNES MELCHIOR
MADERUS,
EX
QUABILINIS,
P. D.

V

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

VT *fortes creantur fortibus & bonis, nec imbellem feroces progenerant Aquilæ Columbam; ita Ego, quaſi Sutrium eam, non multis phaleris,* Equeſtriam, Vobis, Illuſtres Juvenes, *exornabo, jam longo ordine Heroici Sanguinis Hæredibus; niſi una eademq́ opera, tamquam noctua, ferundæ lucis diſciplinam Aquilis præſcribere velim. Noſtis* Magnum Alexandrum, quanto Cavallerizzo egli ſia ſtato, *quantus Equum Domitor; quantus nec* Cebares *Regis Darii apud Herodotum, nec* Picus *apud Virgilium. Is* Bucephalum *Equum, quem Pater* Philippus *jam abjectum ibat, ut ferocem, ſternacem, nec ullius ſeſſoris patientem, blandè tractando, leniter circumduxit, adverſusq́ Solem, ut umbrâ territum (quod Philippici non obſervarant) ſtatuit, & juvenili ſaltu eum conſcenſum, modò laxatis, modò contractis habenis ſcitè admodum & apte rexit, duxit, reduxit. Quid autem Pater ejus* Philippus? *Oſculatus eum,* Aliud, *inquit,* mi Fili, Regnum Tibi quærendum erit, quod excelſo Tuo Animo reſpondeat; Macedonia Te non

capit. *Ita, Vobis*, Illuſtres Juvenes *præter agnatos Titulos alii quærendi ſunt, Heroicæ Veſtræ Indoli reſpondentes. Perſeus apud Livium, Romanos Equites*, Principes Juventutis *vocat*, ſeminarium Senatus; inde lectos in primum numerum Conſules, inde Imperatores creari. *Dignum patella operculum: ſi minima maximis conferre licet.*

SALVETE
PRINCIPES
JUVENTUTIS!

Et hanc non mei unius, ſed totius, quantus quantus eſt, populi Muſici vocem putate, ore meo vicario utentis. Inprimis autem Tu

JOANNES ANTONI
LIBER BARO
ab
EGGENBERG

qui induciis cum laribus paternis ad tempus factis ad nos nuper admodum artes & virtutes mercatum veniſti. Quis, *enim*, fructus, *cenſebas*,

...... generis tabula jactare capaci
fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros?

Digitized by Google

ſi coram lepidis malè vivitur.

Proinde idem credo tuum fuiſſe reſponſum, quod olim Cyri Regis Perſarum *ad Matrem ſuam apud Xenophontem* : domi coætaneis meis jaculando ſuperiorem, alibi autem quia me video equitando inferiorem, moleſtum mihi eſt; quare ſi me iſtuc miſeris, & æquitandi artem didicero, cum ad meos rediero, facile me arbitror fore ſuperiorem. Macte excelſo animo! *eò Te vocant Majorum veſtigia, à multis jam ſeculis illuſtriſſima; ita non tam confirmabis agnatam tuam illuſtriſſimam & Liberam Nobilitatem, quam à te primordia ſumeret, ſi nulla antea fuiſſet. Unius* Ruperti ab Eggenberg, *virtus quanta nuper fuerit in obſidione illa* Biſſeecenſi, *cum Cæſarei exercitus Summus Imperator erat, Europa non ſatis prædicare novit, Africa deplorare. Hoſpitalis tunc erat* Culpa *fluvius, frequensq; & antiquum balneum, quale Turcæ hoc dicto probant;* Eſchki doſt, eſchki hamam: *Proſit balneum! Addidiſſem, adfuiſſem;* Herchinaſe hamamegider beher halterler. *Sed non fuiſſet opus cum etiam extremum ſpiritum deſudarint octodecim millia. Proinde Charon non erat vehendæ tantæ frequentiæ trans* Culpæ Acherontem, Oderæ Stygem, Sauui Cocytum. *Cymba primo ſtatim trajectu ſubmerſa fuit,*

cum Haſſan Baſcha de Boſna, Mehmet Beg de Herzogovina, Giaffer Beg de Tzernich, Memi Beg de Zuornich, Ramadam Beg de Kenderia, Curti Beg de Vuzithan, Ali Beg de Wackerz, Heuſtan Beg de Petrigna, Ibrahim Beg de Lika, Velikovel Beg de Poſhega, Operdi Beg de Hleuno, Beg de Orechoviza, *& alios põderoſos aqualiculos tranſvehere vellet infernalis ille nauta Charon; quorum Animæ quieſcant in pice fervente, æternùm non extinguenda. Corporibus etiam* terram levem *precaremur, niſi elegiſſent aquam. Hoc autem Balneum Solis, poſt Deum,* Ruperto ab Eggenberg, *&* Andreæ ab Auerſperg, *Supremis Imperatoribus, illi Cæſareo, huic Caroloſtadienſi, debent iſti Aquæ potores. Obſervantes ſcilicet erant Legis illius* Muhammedanæ, *qua omnibus & ſingulis Alcoraniſtis vini uſum interdixit, cujus loco aquam bibere coguntur; tranſgreſſores autem triginta duobus verberibus puniuntur, infames, ſacri & inteſtabiles proclamati. Legis hujus ferẽdæ* Muhammedo *occaſio talis erat. Tranſibat aliquando magnam multitudinem Iuvenum, qui in horto collationem fecerant; lætantium, cantantium, ſaltantium, jubilantium, & nihil omittentium, quod hilaritati feciſſet. Placuêre Prophetæ, virtutem vini laudanti, & redire proponenti, ſi prius in templum iviſſet:*

rever-

revertens autem, vidit longè aliam rerum faciem à prædicta. Iſti enim virtute vini incaleſcentes, indignari inter ſe, rixari verbis, mox verberibus tanto furore, quaſi à longo tempore fuiſſent capitales hoſtes. Quare commotus Muhammed *maledixit illis maledictione, videns beſtias pleras vulneratas ad mortem: & hac occaſione tulit iſtam legem, quæ adhuc dum apud illos ſtrenuè obſervatur. Aquam autem ditiores temperant vel Sacchαro, vel melle, vel uvis paſſis, vel aliis; & ne noceat, ita frigida, plerumque imponunt carbonem. Sed in iſta* Culpenſi compotatione, *adeò ſitibundi erant ſanguinis Chriſtiani, ut ſperato ſanguine defraudati, maluerint aquam, etiam ſine temperamento, aut ſaltem proprio & tepido adhuc (ne ſcilicet noceat nimis frigida) ſanguine temperatam bibere, quam iſta inextinguibili ſiti perire.* Pereas per eas aquas quidquid eſt relliquum infidelium! *Et tantas res* Maximus Heros, Rupertus ab Eggenberg *perpetravit, quantas plerique alii ex illo ſanguine nati. Sed quid moramur exempla mortua? mortua autem? immò quæ omnium memoriæ quaſi oculis infixa ſunt. Compendio dicam;* Stirps Eggenbergica eſt Stirps Heroica, ſtirps illuſtriſſima, ſtirps clariſſima & conſiliis & factis. *Illuſtriſſimus Tuus Dominus Parens, Dominus* Joannes Udalricus Liber Barò ab Eggen-

berg, in Adelsberg, Herbersdorf & Ehrnhauſen, &c. Sac. Cæſ. & Reg. Majeſt. à ſecretioribus conſiliis, Supremus Aulæ Magiſter, eſt Archiducatus Carniolæ Præſes, &c. *abunde id ſuo exemplo, ne foris quaras, & in alio ſeculo, confirmatum reddit, qui quaſi Cor Imperatoris noſtri* Ferdinandi II. Cæſaris Pii, Invicti & ſemper Auguſti, &c. *arduas rerum molitiones efficiendo, univerſum Romanum imperium, ſuis & Collegarum humeris impoſitum geſtat, temperat, dirigit, conſiliis, dictis & factis: de cujus Heroicis virtutibus ſi quid laudare conarer, lucerem ſoli meridiano. Tu generoſa proles, ſublege veſtigia Majorum, & perge ut pergis in iſta virtutis via calcanda: ita manebit Te excelſa gloria & immortalis. Quid autem Tu?*

GEORGI BERNARDE
URSENPECKH
LIBER BARO;

quamvis præter Illuſtriſſimum Tuum Dominum Parentem, Dn. Chriſtophorum Davidem Vrſenpeckh, Liberum Baronem in Potſchach, Vartten & Liechteſtain, Loſchenthal, Layemund & Nider-Trixen, &c. Archiducatus Styriæ Architriclinum Hæreditarium, Sac. Cæſ. &

Regiæ Majeſtatis Conſiliarium, Camerarium, & Archiducatus Carinthiæ Præſidem &c. *quamvis dico plurimos Majorum Tuorum, quorum Heroicis veſtigiis inſiſtas, proponerem ut poſſem, vererer ne inclamares,* Equum in planiciē. *Quanti enim Animi ſis tantillus, & quid ſibi à te ſpondere poſſint* Ordines, *jam in adoleſcente intellexerunt, & proinde annuo militari ſtipendio Te ſibi devinxerunt. Nimirum ut aquileges ex erumpente de terra halitu, latentes aquas agnoſcunt; ita Ordines ex tanto tantilli animo, ingentes res olim à Te gerendas. Et ne ipſius Imperator Tuæ virtutis neſcius diutius maneret, miſiſti ejus Majeſtati quinque electos equites, loco Tui, in auxilium adverſus hoſtes; brevi Ducem daturus. Si autem penitiores cogitationum receſſus tibi explicandi ſint, tantum abeſt, ut remanere nunc cupias, & domi inſtar teſtudinis affixus hærere, ut flagrantiſſimo potius deſiderio, ad quasvis cæli injurias, viæque moleſtias invicto accenſus, ſtatim comitatum inſtruere, ſarcinas componere, cataphractus equo inſilire, & propriam perſonam Imperatori ſiſtere, pro ipſo pugnare, & ſi opus, ſanguinem tuum profundere ſis paratiſſimus. Votum Caligulæ Tuum facis.* Unum hoſtili populo cervicem à Te uno, uno demetendam ictu. *Macte Heros! Palatinum ſib.*

ſtor-

ſpondet Imperator. Auguſtus Cajo Nepoti in Armeniam mittendo; Pompeji benevolentiam, audaciam Alexandri, & ipſius Auguſti Fortunam, perpetuas comites precabatur: Tibi, preter eas, Ego, Fortitudinem Scipionis, Metelli Felicitatem & Victorias Ageſilai. *Et Tu*

WOLF ENGELBRECHT
LIBER BARO
in
AUERSPERG:

quid Tibi Animi ſuper hac re futurum ſit, non ignoro; nimirum quod olim Alexandro Magno, *qui puer adhuc, rebus à patre præclarè geſtis offenſus;* Ergo Pater mihi nihil relicturus eſt; *ad æquales dixit. Ita Majores Tui jam ante ſeptendecim ſecula, cum quinque luſtris annorum, & ultra, invicti Heroes erant, terrori Romanis: & continuata ſerie familiæ celſitudinem ad eum excellentiæ gradum evexêre, ut vix altius attolli poſſe videatur. Ut enim Germani, quos ducentos & decem totos annos Romani debellarunt potius, quam vicerunt, ab omni ævo inſuperabiles erant, tantas res gerentes, quantas audere vix hominum; perficere autem nullorum niſi Germanorum fuerit: ut præ illorum præliis, Alexandri Magni bella, βατραχομυομαχίας fuiſſe videantur.*

tur. Illi Gallis ita terribiles erant, ut quoties iſti de tranſgreſſu vel adventu trans-Rhenanæ nationis audirent, trepide ingeminarent, adventare Germanos. *Illi erant, contra quos Gallorũ Legati, magno fletu auxilium rogarunt Iulium Cæſarem.* Semones Germanos! *Germani Carbone & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cepione, M. quoq; Manlio, fuſis vel captis, quinque ſimul Conſulares exercitus Populo Romano; Varum, treſq; cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt, minis illius ingentibus in ludibrium verſis.* Germanis ne Deos quidem immortales pares eſſe poſſe, *Cæſar dixit; relliquum quidem in terris eſſe neminem, quem non ſuperare poſſint. Et hæc omnia confirmat iſtud antiquum veriverbium;*

Welcher im Krieg will Vnglück han/
Der fang es mit den Teutſchen an.

Ut autem Germani tales & tanti erant; ita Japodes *vel* Japyges, *vulgo* Jauntaller / *hodie* Crainer / *Germanorum non ultimi; ſed ultimò; difficulter autem & maximo labore, debellati à Romanis, præ relliquis tales & tanti fuêre. Sed ut majores noſtri non ſtylum, ſed pilum; non pennam, ſed bipennem verſabant, ita res illorum fortiter & præclare geſtæ ferè caruerunt ſcriptoribus. Externi enim, ſua tantum mirari & extollere; Germanorum incurioſi. Ita in hiſce talibus etiam*

 ludit

ludit & illudit ſive fatum ſive fortuna; & quidam merentur famam, quidam habent.

Vixere fortes ante Agamemnona
multi, ſed omnes illacrumabiles
urgentur, ignotique longa
nocte; carent quia vate ſacro.

Niſus & Eryalus Maroni; Ulyſſes Homero; Mecænas Horatio; Lucilius Senecæ debent, quod nomina illorum indelebilia maneant in Actis Memoriæ. Scythæ & Gothi ea propter litteris aliquando veſperas Sicilienſes minitati ſunt, quod Græci & Latini Scriptores, res tantum proprias celebrarent, alienas autem, aut negligerent, aut deſpicerent. Stricturæ tamen quædam tenuiſsimæ in hoſtium archivis deprehenſæ. Japodes, *populum olim invictiſsimum intra viginti annos, Romanos bis finibus expellentem, centeſimo modo & viceſimo octavo ante Chriſtum anno difficillimè devincere cœpit, & triceſimo demum & primo anno, devicit Octavius Cæſar Auguſtus. Erant autem ipſis Iapodibus, quatuor ampliſsimæ & munitiſsimæ urbes;* Metullum, *unde Trojani in valle Medlinga;* Auruponum, *Illuſtriſsimæ Tuæ Familiæ, Dilecte Baro, avita Domus;* Monetium, *à qua Familia Mansbergica, &* Vendum, *a qua Vindiſch Gratii. Iapodum Metropolim, quæ Metullum erat, dicto centeſimo viceſimo octavo ante Chri-*

ſtum

ſtum anno, magna vi & ingenti labore cepit Auguſtus, qui ipſe mœnia conſcenſurus, dextra tibia & utroq; brachio letaliter vulneratus eſt. Et ut Iapodes invictiſſimi; ita Auruponi *Iapodum omnium Maximanimi fortiſſimiq; ab omnibus cenſebantur; effectu rem comprobante. Cum enim jam omnes ſeſe Auguſto dediſſent, ſoli* Auruponi, *Majores Tui, reſiſtere, & ex pagis apertis in munitas urbes ſuas ſe recipere. Appropinquante autem cum ingenti exercitu Auguſto, denſis ſylvis ſe abdiderunt. Auguſtus urbem* Auruponum *capere, anno ante Chriſtum triceſimo primo; exercitum flammis eam tradere ſatagentem inhibere, ea ſpe fore ut ſeſe dedituri ſint aliquando: quod cum factum eſſet, inhabitandam eam ipſis reddidit. Ea autem ab* Attila Hunnorum Rege, *circa quadringenteſimum quinquageſimum primum Chriſti annum devaſtata,* Caſtrum ejuſdem nominis, *Monti, tribus milliarib. a* Nauporto, ſive Labaco, *impoſuerunt; cujus rudera tantum hodie cernuntur; inter quæ hanc* Inſcriptionem *inveni:*

D. M. AUR. SENECIONIS. MIL. COH. V. PR.
P. V. EX. CECIL. QVI. VIX. ANN. XXX.
M. VIPIUS. TITIUS. COMANIPUL. EX. HER.
CONTUBER. CAR. POS.

Sed anno poſt Chriſtum Milleſimo ſexageſimo

ptimo, non longe ab illis ruderibus, Dominus Cunradus ab Auerſperg, *qui duobus fratribus germanis,* Pilgramo & Adolpho ab Auerſperg, *in veteri caſtro pacifice cohabitavit, aliud Caſtrum ex fundamento exædificavit; & genuit ex* Conjuge Barbara, Joannis de Finckenberg Filia Cunradum ſecundum; Cunradus II. ex Catharina de Sonneckh Pilgramum; Pilgramus II. ex Sophia **Hertzogburgerin** / Adolphum Secundum; Adolphus II. ex Caranca Balthaſari de Volckenberg filia, Ottmanum; Ottmanus ex Eliſabetha, Vilhelmi de Sommeregg, ſorore, Ioannem; Ioannes ex Clara, Andreæ de Tuſchenthall, filia, Höruuardum; Höruuardus ex Anna, Franciſci de Reiffenberg filia Höruuardum II. Höruuardus II. ex Eliſabetha, Ioannis de **Winden** filia, Ioannem II. Ioannes II. propter inſignes virtutes, **Herr Hans / das Edel Kind von Auerſperg** dictus, ex Kiburga, Nicolai **Sawerpeckhen** filia, Manhelmum; Manhelmus ex Anna de **Katzenſtain** / Diepoldum; Diepoldus ex Urſula, Heinrici de Liechtenegg, in Raſpach, Filia, Engelhardum ArchiCamerarium hæreditarium Carniolæ & Marchiæ Sclavonicæ; Engelhardus ex Scholaſtica de Khings-

berg.

berg, pangratium, ArchiCamerarium, &c. Pangratius ex Anna Trojani, Comitis Frangepani filia, Trojanum, ArchiCamerarium, &c. Trojanus Caſtrum Auruponum *à terræmotu, anno Chriſti 1511. concuſſum, dejecit, & ex fundamento reædificare cœpit, anno milleſimo quingenteſimo viceſimo; quod ad huc dum monet* Urus deauratus *lapidi inciſus: & genuit ex* Anna ab Egg in Neuburg Höruuardum III. ArchiCamerarium &c. Præſidem Archiducatus Carniolæ, & Summum Locum-Tenentem in Corvatia: *qui in extremis ejuſdem finib. ad Budatſchkum, decimo Kalend. Octobrium, Anni Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi, in prælio adverſus Turcas glorioſiſſime occumbens, filio natu minore* Volfgango Engelbrechto: *Tibi Cognomine, viginti duorum annorum juvene, in ſervitutem captivo à Turcis abducto, ex* Maria Chriſtina de Spaur, *reliquit alterum natu majorem* Chriſtophorum, ArchiCamerarium, &c. Avum Tuum; qui ex Anna Malzanin/ Tua Avia genuit 1. Horuuardum IV. Liberum Baronem in Auerſperg, Dominum in Schonberg; Archiducatus Carniolæ & Marchiæ Sclavonicæ ArchiMarſcallum & ArchiCamerarium hereditarium, Sereniſſ. D. D. Ferdi-

nandi, Archiducis Auſtriæ, Conſiliarium, & inclutæ Provinciæ Carniolæ VicePræſidem & Præſidentem, &c. Tuum, Illuſtris Baro, Patruum; qui ex Felicitate **Katzianerin** / genuit Annam Eliſabetham, Mariam Dorotheam, Sidoniam, in vivis adhuc; Sabinam, in divis; & Joannem Andream, meum nuper Dominum Diſcipulum; cui omnia fauſta precor. 2. Theodoricum, Liberum Baronem in Auerſperg, Dominũ in Schönberg; Archiducatus Carniolæ & Marchiæ Sclavonicæ ArchiMareſcallum & ArchiCamerarium Hæreditarium, &c. Dominum Parentem Tuum dilectiſſimum, Dominum meum Clementem & gratioſum; qui ex Domina, Domina Sidonia **Gallerin**, Domina Matre Tua mellitiſſima, progenuit Te, Dominum Volfgangum Engelbrechtum; Dominum Joannem Chriſtophorum jam denatum; Dominum Höruuardum V. magni animi prolem; Dominum Joannem Veickhardum, **das ander Edel Kind von Auerſperg**; & Dominum Vilhelmum denatum itidem; omnes Liberos Barones in Auerſperg, Dominos in Schönberg; Archiducatus Carniolæ & Marchiæ Sclavonicæ Mare-

ſcallos & Camerarios Hæreditarios; meos non ita pridem Dominos Diſcipulos. 3. Eliſabetham, Stephani Urſini Comitis à Blagay, Conjugem. 4. Mariam Dorotheam denatam. 5. Joannem; 6. Veickhardum; 7. Joannem Bernardum denatos. *Vides*, Illuſtriſſime Barò, *quot, quantos & quales Heroes, in recta tantum, nec ea tota linea genealogica Familiæ Tuæ, numerare poßis; qui omnes inter homines Deorum æmuli ante mortem, Fato æternitatis eripuere confeßionem; quot, quantos & quales vix alia familia in univerſa arbore. Unum Roma Pompejum; unum jactat Cæſarem, duos Decios, duos Catones; tres Metellos, tres Scipiones:* Auruponum ſive Auerſpergum *jam à mille ſeptingentis quadraginta octo annorum ſpatiis innumerabiles è ramis & trunco arboris genealogicæ dedit nobis immortalium, & pæne cœleſtium Heroum cohortes; quarum ſingulos Regno & Imperio dignos diceres. Quid autem Regno? Quid Imperio Semones? Cœlo gaudent Dii. Pagana antiquitas, multa olim de Diis ſuis ingenioſe commenta eſt, & neſcio quos Ioves, Saturnos, Martes, Neptunos, Iaſones, Hercules ſomniavit, pleros aut adulteros aut latrones: ſed* Auerſp. familia, *familiares Deos ſuos longe veriori* [illegible] *in cælum inferat & colat, plerosq; contra Chriſtiani nominis juratos*

hoſtes

hoſtes Muhammedanos, Tutelares Deos: ipſis hoſtibus adeo terribiles, ut publicis illorum precationibus addidiſſe credo hanc formulam; Ab Auerſpergica domo libera nos Domine. *Nimirum ut olim, cum Caroli Magni temporibus, per Friſiam, Belgium, Angliam, Hiberniam & Galliam licenter vagarentur Normanni, nominis ſui terrorem iſtis populis tam profunde impreſſerunt, ut publice precarentur:* A furore Normannorum libera nos Domine. *Quin hodierno adhucdum die in confinibus Corvatiæ & Sclavoniæ, Matres vagientibus infantibus pro terriculamento nomen Dominorum ab Auerſperg inclamare ſolent. Patruũ Tuum, Dn.* Horuuardum in Auerſperg, &c. *magnanimum, bellicoſum, & conſummatæ prudentiæ virum, univerſa deſiderat Provincia; cujus apud omnes ordines exiſtimatio & auctoritas per erat magna; ab eo pendebat omnis nobilitas; eum non diligebat ſed amabat omnis ſubditus; ad eum tanquam ad Divinum aliquod aſylum confugiebat omnis miſer. Virtutum ſuarum ſemina reliquit in Filio ſuperſtite, & trib. lectiſsimis filiabus. Quid autem de Domino Parente Tuo, Dn.* Theodorico in Auerſperg, &c. *quid de eo dicam, quem omnis Carniola reſpectat? facilius ubi incipiam, quam ubi deſinam, invenirem. Si Poeta eſſem, optarem mihi pectus æreum, linguas centum & ora centum; ſi Orator,*

enthymemata Demoſthenis, aut Tullii opulentiam: nunc cum neuter ſim, ſancto ſilentio, ut in quibuſdam ſacris ſolet, eum venerabor. Memini me aliquando hoc anagrammate quædam innuiſſe:

Theodoricus Liber Baro ab Auerſperga, Dominus in Scônberga; Archimareſcallus & Camerarius hæreditarius Ducatus Carniolæ & Marchiæ Sclavonicæ, &c.

Per Anagramma:

Prudentiæ Sacra imago, ab alto cœlo in ſalutem Reipublicæ demiſſa; huic Regioni hoc rerum curſu valde neceſſaria. Rara, cara & chara avis. Hoc ſorbe, Rodens.

Plura adderem, niſi plenius aliquando Illuſtriſſimam Tuam Familiam illuſtrare conſtituiſſem: heic quaſi Nomenclator fui. Marcus Antonius Nicolletti in litteris ad Ioſephum Formentinum, de Domo Auerſpergica ita vovet: Sarebbe mi oltra modo caro, ſe gl' Illuſtri ſuoi deſcendenti, che hoggi di glorioſi, e nella pace, e nella guerra vivono mi faceſſero copia ſe tengono memorie di queſto ſignore, acioche io non defraudaſſe i meriti ſuoi, & io non man-

chaſſe dei lumi della gloria ſua. *Meum facio hoc votum: ut ſi quæ in archivis reſtant, Poſteris virtutum Heroicarum exemplaria proponamus.* Domus Auerſpergica nata eſt res maximas gerere; Maderus ſcribere. Vivet, ſi vivam, ita vivam, cum nec ego vivam, nec illa vivet. *Avum Tuum Illuſtriſſimum, Dominum* Chriſtophorum ab Auerſperg, *eadem cura tenuit, ut Familiam ſuam illuſtraret, Majorum ſuorum res geſtas colligendo. Teſtantur litteræ, inter illum, Ioſephum Formentinum, Marcum Antonium Nicolletti, & Iacobum Frangepanem, Dominum Caſtelli & Tarcenti, miſſæ, & in archivis originales ſepoſitæ; quas olim, à Domino parente Tuo communicatas, majoris lucis ergo, luci dabimus.*

Amor tui, Dilecte Baro, & Dominorum Tuorum Fratrum Germanorum, Domini Horuuardi, *& Domini* Ioan. Ueickhardi, in Auerſperg; *nec non Domini Patruelis Tui, Domini* Ioan. Andreæ, in Auerſperg, &c. *ut Dilectorum meorum olim Dominorum Diſcipulorum, eò me impulit, ut Veſtræ, tam Illuſtriſſimæ, ſeſquimille & trecentorum circiter annorum, antiquæ familiæ, Heroum feraciſſimæ, originem aliquantum diligentius inveſtigarim. Non opus, ut eos imitandos vobis proponam: propono Vobis Voſipſos; ſat propoſitum erit, ut veſtra ſunt ingenia feliciſſima, anim.*

maximi & pulcherrimi, in pulcherrimis habitaculis Natura videtur artis ſuæ ſpecimen edere voluiſſe, cum vos crearet, adeò Animi, Corporis & Fortunæ bona, in vos contulit catervatim. Philoſophi ſuadent, Speculum ſæpius inſpiciamus, ut ſi nos formoſos corpore deprendimus, etiam animos tales efficiamus; ſi deformes, defectum corporis, animi cultura & pulchritudine compenſemus. Vos, niſi animo jam ante pulcherrimi eſſetis, alunde haberetis in corpore; quod ad taliter eum informandum moneret. Plato Corporis pulchritudinem, Naturæ prærogativam vocabat; Ariſtoteles, Naturæ donum; Socrates, Temporis tyrannidem; Theophraſtus, ſilentem fraudem; Theocritus, eburneum detrimentum; Carneades, regnum abſque ſatellitio; Diogenes, efficaciſsimam commendatoriam. Hæc omnia applicarem, niſi properarem, alibi fiet. Votum tantum addo: Omnia Veſtræ Familiæ merita nobis exemplis in Vobis pulchrius efflorescere! *Tibi autem*

JOANNES UDALRICE
ab
ERNAUU, &c.
EQUES CARINTHE;

Tibi ſufficiet præter monita paterna, & mea quotidiana, Ordinis Tui meminiſſe, qui Te nihil plebejum ſa-

pere jubet, nihil ſpirare eo indignum: omnes autem actiones tuas ad Imperatoris Henrici Aucupis Cenſorias leges ſtrictiſſimè obſervandas dirigere. Imagines referendæ, ſed virtutes præferendæ. Ita docuêre Majores. Domeſticum & quotidianum tibi exemplum eſto, Illuſtris & Strenuus Vir, Dn. Hector ab Ernauu, in Prograd, Mosburg & Glanegg; Archiducatus Carinthiæ Vice Præſes, ejuſdemq; Provinciæ Ordinarius VI. Vir; Dominus Parens Tuus, Dominus meus gratioſus. Quantæ virtutis, quantæ pietatis, quantæ probitatis, quantæ prudentiæ Vir ille eſt? quem ſubditi Patrem an Dominum vocare debeant, ſæpius animo deliberant. Aula Ottomannica loquitur, quā animus ejus Virtuti quàm vitio, labori quam otio deditus eſſe gaudeat. Quid enim Inſtitutiones Linguæ Turcicæ? quas Megiſerus quaſi-author, corrupte admodum, ut Linguæ ignarus, ante octenium publicavit: nos revidebimus eas, & cum aliis cupediis Turcicis, Perſicis & Arabicis, brevi correctiores dabimus. Quid enim, inquam, Inſtitutiones illæ, quas Conſtantinopoli Hector noſter olim collegerat? quanti laboris putas fuiſſe, Linguam tam remotam à materna regulis circumſcribere, ſcriptura mõſtroſam, difficilem ſtructura, ſono timendam. Qui ætates in ſcholis trivere, ſat laborum inveniſſent. Ipſe autem non deterritus inquirendi moleſtia, præſtitit rem à nullo alio a

Eten

tenus tentatam. Sed virtus Ernauuerorum *jam ante trecentos ferè annos, contra Margaretham* Maultaſchin / Henrici Archiducis Carinthiæ filiam, *clariſſima erat. Et quid ante centum & ultra annos laudatius illo* Leonhardo ab Ernauu, *D. Imperatori Maximiliano I. à Conſiliis; & Archiducatus Styriæ Vice Domino, &c. qui litterarum amore adeò incenſus fuit, ut ab eis divelli non prius potuerit, quam* Magiſter artium *creatus. Quid in hunc uſque diem Carinthia huic familiæ debeat, nemo eſt qui ignoret, niſi ingratiſſimus. Omnem operam ſuam fideliſſimam, diligentiſſimam ei lubens ſemper locavit.* Macta familia Ernauuiana! Macta triga Juvenum ab Ernauu! *Inſiſte veſtigiis Majorum; inprimis illius* Leonhardi ab Ernauu. *Non enim decet Nobiles, tractare litteras, ut quidam extemporali garrulitate calumniantur. Fecere id etiam Magni alii Principes, Comites, Barones: nec ſuffeciſſet ipſis, niſi etiam honores ab iiſdem accepiſſent.* Joannes, Dux Megapolitanus, Theologiæ Doctor, Hermannus, Haſſiæ Princeps, Magiſter artium, Albertus Quartus, Dux Bojariæ, Baccalaureus, Richuuinus, Lotharingiæ Dux, Magiſter artium; Vilhelmi, Geldriæ Ducis, filii, Artium Magiſtri, Albertus, Comes Hohenbergenſis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Decretorum Doctor; Ebethardus, Baro Starenbergius, Theologiæ Doctor; Sigiſmundus, Baro de Herberſtain, Baccalaureus; & nuperadmodum Gratijs, Georgius Adamus, Baro de Martinicz; Ioan Ferdinandus a Khieburg, L. B. & Ioan Bernardus, L. B. de Herberſtain, Doctores philoſophiæ: *& innumerabiles alij Doctores, Magiſtri, Licentiati, Baccalaurei creati ſunt heri et hodie. Sed præcipuè mitandus eſt* Agricola, *qui ſtudio ſcientiæ flagrantem animum coercuit, tenuitq́ quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum. Non enim Scholæ ſed vitæ ſtudemus, ut Seneca monet. Ideo non immerito reprenditur* Julianus, *Philoſophis & Græcis litteris nimium deditus.* Hadrianus *quoque non extra culpam affectatæ ſupra modum doctrinæ. Item* Michael Ducæ filius, Byzantii Imperator, *qui litteris adeo immerſus erat, ut rerum gubernatio univerſa penes alios rediret, & imperium turpiter eo dehoneſtaretur. Modus in omnibus ſervandus.* Scire Politicum refert de omnibus, non omnia. *Proinde omnibus Politicorum formatoribus hoc maximè incumbere debet, ut qua ſemel cœperunt methodo, omnia quam poſſunt compendioſiſſimè percurrant, & ad præſentem dirigant praxim. Qui alios regat, neceſſe eſt, ut quicquid illi alii ſciant, ipſe ejus ne ſit ne-*

ſcius.

ſcius. Ego vel ad formam, vel ad uſum, iſta omnia delineare aggreſſus ſum, ut vel accuratiora eliciam, vel mea ſaltem qualiacunque locum occupent, melioribus eo ceſſura. De Artibus & Diſciplinis Heroicis ne monuit quidem ullus umquam. Ex illis Equeſtriam *hanc, extra ordinē damus, tum præcipue, ut eo felicius Equiſonem tuum, peritum flexuminem, cui nuper in diſciplinam à Domino Parente Tuo traditus es, percipias, & ad uſum vertas; Ita enim volebat Illuſtris Tuus Dominus Parens, ut præcognita Tibi quædam ex Italis & Germanis aliquot de Equeſtria Scriptoribus colligerem, ne omnino rudis Scholam adires. Feci, & ut ad placitum ſatisfacerem, non illa ſolum, ſed univerſam artem quaſi Tibi optima, ni fallor methodo deſcripſi. Fruere, & Ipſi gratiam pro iis habe, qui primus ſuaſor fuit. Tum deinde etiam ut* Strenæ *loco eam,* Vobis quatuor Illuſtriſſimis Juventutis noſtræ Principibus, *hoc Anni meuntis auſpicio, devotus offeram. Conſulite boni:* & Illuſtriſſimis Veſtris Dominis Parentibus, Dominis meis Clementiſſimis, efficaciore aliquo verbulo, Maderum Clientem inſinuate, in illorum ſpem gratiæ omne bellum militare paratiſſimum. *Ita*

SALVETE
PRINCIPES
IUVENTUTIS
ab
LI.I.I. G.G.G.G. V.V.V.V.
Devoto
Ioanne Melchiore
Madero
ex
Quabilinis,
P. D.

Dabam in Propugnaculo Fori Claudii, VIII. Kal. Ian. Natali Ieſu Chriſti cIↃ Ↄc XXI. *quo ante octingentos & viginti annos,* Carolus Magnus, Rex Francorum, *Pipini Regis filius, cum quintum Romam veniſſet, & captivum* Pontificem, Leonem III. *reſtituiſſet, precumq; gratia templum ingreſſus fuiſſet, à Pontifice contra omnem expectationem coronabatur, & ab univerſo Pop. Rom. ingenti acclamatione* Imperator Romanus *ſalutabatur.* Carolo piiſſimo, perpetuo Auguſto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Romanorum Imperatori Vita & Victoria! *Anno Chriſti* IↃↃↃↃ. *Urbis* cIↃ IↃLII. *Imperii, hoc eſt, à C. Iulii Cæſaris Dictatura* IↃↃↃↃXLVI.

Re-

Regni Francici XXXIII. Paterpatratus Optimus Maximus vacillanti Imperio auream pacem lætis oculis aſpiciendam reddat; ex intimo animo eum fatigo, Velit quæ velim.

LECTOR

Aut ſalve multùm, aut vale longùm!

Cur enim non? Stoicum effatum ſed & Chriſtianum novi: Sapienti nihil contra opinionem accidere. Procul omni dubio varias opinionum (opinionum dico) cenſuras, prout ſeculum hoc eſt, ſubibit noſtra hæc Equeſtria, *primo à nobis in artem aliqualiter redacta. Quidam clamitabit; ne ſutor ultra crepidam; ne tu ultra profeſſionem. Sed* Iphicrates, *cuidam quis eſſet gerens tantos ſpiritus? quærenti; num Eques, num Sagittarius, num Scutatus, aut Pedes? Nihil horum, reſpondit; ſed qui his omnibus imperare didici. Magnanima vox, & ex animi mei ſententia! Alter autem; ſint tuæ profeſſionis, at non tractaſti benè. Quam non bene neſcio, ſcio nullum melius, quia nullus ante me. Et tertio methodus non placebit: mihi perplacet: quid inde? Quarto iterum, ſint omnia bona, ſed non plena: neſcio & ſcio;* Eruditionem Equorum, Diſciplinam ſtabuli, *& quæ heic deeſſe videbuntur, conſilio deeſſe volumus, ut propriè ad Equitem non ſpectantia. Et quid tandem Quintus, Sextus, & quotquot ſequentur, ſint cavillaturi,*

invidiæ thyrſo tacti & acti. Pergant modo invidere, ita votum & ſpes noſtra eſt; fundant buttubattas ex plauſtro & pleno horreo, gaudebimus. Et ne ſint ignari noſtri propoſiti: brevi Politico Iuveni dabimus, quicquid & quantum ipſi, præter uſum & experientiam, ſcire ſatis ſit futurum. Equeſtriam *ſeorſim paſſus ſum exire, ex occaſione, quam in dedicatione dixi. Sed &* Noctes meæ Sclavonicæ, Schola Linguarum, & alia mea *(quæ mente jam concepi, nondum calamo) haut pœnitenda, ſpero, huic rei conſilia communicabunt, ſi parentes invenerint. Quæquæ autem futura ſint, agimus ea, agentes alia: nam naſcuntur nobis hæc talia domi ſatis abunde & noctu. Ipſa hæc* Equeſtria *paucarum horarum opella fuit, quam Diſcentibus ſcito nos ſcripſiſſe; Docentibus pleniorem forte aliquando daturi. Tantum eſt, quantum te ſcire voluimus, ita* ſalve aut vale à

Joanne Melchiore Madero,
ex Quabilinis, P.D.

IOANNIS MELCHIORIS MADERI

EQUESTRIÆ LIBER PRIMUS, DE HIPPIKA.

CAPUT PRIMUM.

Quid eſt Equeſtria?

EQUESTRIA eſt ars Heroica benè equitandi.

Quot ſunt partes Equeſtriæ?

Duæ; Hippika & Hippeutika.

Quid eſt Hippika?

Hippika eſt prima pars Equeſtriæ, quæ Equum & quæ ad eum conſiderat.

Quid eſt Equus?

Equus eſt animal irrationale hinniens.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. II.

Quot ſunt conſideranda in Equo?

Duo; Externa & Interna bona.

Quotuplicia ſunt Externa bona?

Duplicia; Formæ & Figuræ.

Quotuplicia ſunt Formæ bona?

Duplicia; Totius Corporis & Singularum Partium.

Quæ ſunt bona Corporis?

Corporis bona ſunt, juſtæ & mediocres altitudines, magnitudineſque invicem correſpondentes & proportionales.

CAP. III.

Quotuplicia ſunt bona partium?

Duplicia; Partium principalium & minus principalium.

Quotuplices ſunt partes Principales?

Duplices, Superiores & Inferiores.

Quot ſunt partes principales ſuperiores?

Duæ, Caput & Venter.

Quæ ſunt partes principales inferiores?

Pedes Anteriores & Poſteriores, dextri & ſiniſtri.

Quæ ſunt partes minus principales?

Quæ cuilibet partiū principalium adhęrēt.

CAP. IV.

Quid conſiderandum eſt in Capite?

Caput ſit utrimque, verſus Equitem, oblongum, ſiccum, inſtar arietini, ubique venas oſtendens: ſed in Ginetto ſit parvum, non nimis longum; inſtar cervini potius quam arietini capitis.

CAP. V.

Quotuplices ſunt partes minus principales capiti adhærentes?

Duplices, Inſtrumenta Senſuum, & Adjunctæ.

Quot ſunt illorum inſtrumentorum?

Duo, duorum principalium ſenſuum, ut, Oculi & Aures: & duo, duorum minus principalium, ut, Naſus & Os.

Quid eſt conſiderandum de Oculis?

Oculi ſint magni, nigri & protuberantes.

Quid eſt conſiderandum de Auribus?

Aures ſint parvæ, acutæ & erectæ, longitudinis proportionalis.

Quid eſt conſiderandum de Naſo?

Naſus ſit apertus & tumidus, quod ſignum multorum ſpirituum eſt.

Quot ſunt conſideranda in Ore?

Duo; Os ipſum, & dentes Oris.

Quid eſt conſiderandum in ipſo Ore?

Os debet eſſe magnum, quod multorum ſpirituum indicium erit.

CAP. VI.

Quot numerantur Dentes Equini?

Quadraginta.

Quomodo diſtinguuntur?

In Medios & Extremos.

Quot ſunt Medii Dentes?

Duodecim; & vocantur Rapaces.

Quomodo diſtinguuntur Extremi?

In Primores & Genuinos.

Quot ſunt Primores?

Quatuor Canini, & vocantur Columellares.

Quot ſunt Genuini?

Duodecim utrimq;, & vocantur Molares.

CAP. VII.

Quid eſt conſiderandum ex dentibus Equorum?

Ætas, vel Pulli, vel Equi.

Quomodo obſervatur ætas Pulli?

Pullus protrudens quatuor primores den-

tes, ſupra duos, & infra duos, quos Lactantes vocant, triginta menſium erit.

Quotupliciter conſideratur Ætas Equi?

Dupliciter; Equi vel quatuor, vel plurium annorum.

Quomodo cognoſcitur Ætas quatuor annorum?

In principio quarti anni protrudunt alteros quatuor dentes prope Lactantes; & oſtendere ſe etiã incipiunt Canini ſive Columellares.

Quomodo cognoſcitur Ætas plurium annorum?

Quinto anno incipiunt protrudere ultimos dentes; ſexto æquant omnes: & principio ſeptimi habent omnes æquatos. Ultra nihil certi cognoſci poteſt.

CAP. VIII.

Quotuplices ſunt Adjuncta?

Duplices; Inferiores & Superiores.

Quot ſunt Adjunctæ Inferiores?

Bis duæ; Conchæ & Maxillæ; Frons & Juba.

Quid conſiderandum de Conchis?

Conchæ ſuperciliorum ſint plenæ & protuberantes.

Quid conſiderandum de Maxillis?

Maxillæ ſint tenues & graciles.

Quid conſiderandum de Fronte?

Frons ſit macra & ampla.

Quid conſiderandum de Juba?

Juba ſit rara & longa: dura durum Equum, mollis mollem notat.

CAP. IX.

Quot ſunt Adjunctæ Superiores?

Duæ; Collum & Scapulæ.

Quid conſiderandum in Collo?

Collum ne ſit nimis breve, ſed longiuſculum, craſſum verſus pectus, curvatum in medio, & tenue prope caput.

Quid conſiderandum in Scapulis?

Scapulæ ſint longę, latæ, carnoſæ & plenæ.

CAP. X.

Quid conſiderandum de altera parte principali ſuperiore, nempe de ventre?

Venter ſit longus & grandis, infra juſtè opertus, plenis lateribus, cum naturali vertice.

Quotuplices ſunt partes minus principales Ventri adhærentes?

Duplices, Anteriores & Poſteriores.

Quot

Quot ſunt Anteriores?

Bis duæ; Pectus & Lumbi; Dorſum & Setæ locus.

Quid conſiderandum in Pectore?

Pectus ſit largum & rotundum.

Quid conſiderandum in Lumbis?

Lumbi ſint rotundi, ſed plani verſus ſpinam ſtriatam & duplicatam.

Quid conſiderandum in Dorſo?

Dorſum ſit breve, nec concavum nec convexum, ſed planum & immobile.

Quid conſiderandum in loco Setarum?

Locus ſetarum ſit non ſolum acutus, ſed etiam glaber, & planus, ut diviſio ſcapularum appareat.

CAP. XI.

Quot ſunt partes poſteriores, minus principalium partium, Ventri adhærentium?

Bis duæ; Cauda & Truncus; Clunes & Teſticuli.

Quid conſiderandum in Cauda?

Cauda ſit piloſa, & longa uſq; ad terram.

Quid conſiderandum in Trunco?

Truncus ſit juſtæ magnitudinis & bene diſpoſitus inter coxas; rari ſed criſpi pili ſignum bonitatis ſunt.

Quid conſiderandum in Clunibus?

Clunes ſint rotundæ & planæ, labentes paullùm, cum canali in medio.

Quid conſiderandum in Teſticulis?

Teſticuli cum ſuo membro ſint parvi, quamvis etiam interdum magni boni ſint.

CAP. XII.

Quotuplices ſunt partes partium principalium, ſcilicet Pedum?

Duplices; Superæ & Inferæ.

Quot ſunt partes Superæ?

Bis duæ; Coxæ & Falces; Genua & Brachia.

Quid conſideraudum de Coxis?

Coxæ ſint longæ & latæ bene oſſatæ & carnoſæ intra & extra.

Quid conſiderandum de Falcibus?

Falces ſint curvæ & latæ, ſicut cervorum.

Quid conſiderandum in Genibus?

Genua ſint magna, rotunda, macra & plana: oſſa ſuper genibus ſint majora quam quæ ſubter.

Quid conſiderandum de Brachiis?

Brachia ſint nervoſa, plana, ſicca, juſtæ magnitudinis cum parvis tibiis.

CAP. XIII.

Quot ſunt partes Inferæ?

Bis duæ; Tali & Paſtores, Coronę & Cornu.

Quid conſiderandum de Talis?

Tali ſint magni: à poſteriore capillati fortitudinem notant.

Quid conſiderandum de Paſtoribus?

Paſtores ſint breves, nec nimis depreſſi, nec nimis erecti.

Quid conſiderandum de Coronis?

Coronæ ſint ſubtiles & piloſæ.

Quid conſiderandum de Cornu?

Cornu ſit politum, nigrum, largum, rotundum, ſiccum & cavatum.

CAP. XIV.

Quæ ſunt Figuræ bona?

Figuræ bona ſunt diverſi colores, ex diverſis complexionibus ſurgentes.

Quotupliciter ſunt conſiderandi colores Equorum?

Dupliciter; In toto corpore & in extremitatibus.

Quotuplices ſunt Colores in toto corpore?

Duplices; Veri & Mixti.

Quotuplices ſunt Veri Colores?

Duplices; Principales & minus principales.

CAP. XV.

Quot ſunt Colores principales?

Duo; Albus & Niger.

Quotuplex eſt Albus Color?

Duplex; Purus, vel Guttatus.

Quid judicandum ex Albo Colore puro?

Albus color tardum, mollem & phlegmaticum equum denotat.

Quotuplex eſt albus Color guttatus?

Duplex; Guttatus albus, & Guttatus niger.

Quotuplex eſt Guttatus albus?

Duplex; Totius corporis, vel partium ejus.

Quid judicandum ex Guttato albo totius Corporis?

Guttatus albus per totum corpus, bonæ qualitatis eſt, ſecundum plus vel minus, prout unius coloris fuerit.

Quid judicandum ex Guttato albo partium Corporis?

Guttatus albus ad latera vel collum mali in-

dicii eſt; quia ſuſpicamur à muſcis ita tractatum eſſe.

Quid judicandum ex Guttato nigro?

Guttatus niger eſt levis, dexter & boni ſenſus, ita etiam eſt guttatus ruber: ſed guttatus niger majoris fortitudinis, & animi cenſetur.

CAP. XVI.

Quotuplex eſt Niger Color?

Duplex; Purus vel impurus.

Quid judicandum ex nigro colore puro?

Niger color, cervinus, ſoricinus, aut ſimilis, frigidæ, ſiccæ, gravis viliſq; naturæ & melancholicum equum denotat.

Quotuplex eſt niger color impurus?

Duplex; Maculoſus, vel Obſcurus.

Quotuplex eſt niger maculoſus?

Duplex; poſt manum, vel ante manum.

Quid judicandum ex maculis poſt manum?

Si poſt manum albas maculas oſtenderit, bonitatis indicium erit.

Quid judicandum ex maculis ante manum?

Si ante manum maculas albas habuerit, vilis fortitudinis erit.

Quid judicandum ex nigro obſcuro?

Obſcurus valde ſine ullo alio ſigno albo, plerumque fallax cenſetur.

CAP. XVII.

Quot ſunt colores minus principales?

Duo; Glaucus & Ruber.

Quid judicandum ex Glauco colore?

Glaucus color; ſanguineum, agilem, hilarem & temperati motus Equum denotat.

Quotuplex eſt Ruber Color?

Duplex; Purus vel Guttatus.

Quid judicaudum ex Rubro Colore puro?

Ruber color cholericum, iracundum, levem, ardentem & ſaltatorem, ſed rarò nervoſum Equum denotat.

Quid judicandum ex Rubro Colore guttato?

Ruber in ore vel malis guttatus, ſuperbum & durioris Caballum indicat.

CAP. XIIX.

Quotuplices ſunt Colores mixti?

Duplices; Boni vel Mali.

Quotuplices ſunt Colores mixti boni?

Duplices; Vel ex omnibus, vel ex duobus coloribus mixti.

Quid judicandum de Colore, mixto ex omnibus?

Quando Equus debita proportione de omnibus participat, tunc omnium perfectiſſimus erit.

Quotuplices ſunt Colores ex duobus mixti?

Duplices, Principales & minus principalis.

Quot ſunt principales?

Duo; Spadiceus, & Cinereus.

Quis eſt minus principalis?

Metallinus.

Quid judicandum ex his Coloribus bonis?

Equi his coloribus inſignes, ſunt multum temperati, valentes, nobiles & robuſtæ naturæ.

Quot ſunt colores mixti mali?

Reliqui omnes; obſervata tamen proportione.

CAP. XIX.

Quis eſt Color in Extremitatibus obſervandus?

Albus Color.

In quibus Extremitatibus præcipuè obſervandus eſt?

In Capite, & in Pedibus.

Quid obſervandum in Capite?

Alba ſtellula in fronte.

Quotuplex eſt illa ſtellula?

Duplex; vel cum tractu, vel ſine tractu.

Quid notat ſtellula cum tractu?

Stellula cum tractu per faciem, ſed cilia non tangens eſt valde bonum ſignum; & eò magis, cùm etiam pedes benè notati ſunt: ſine pedibus autem bene notatis, ornamenti magis quam bonitatis eſt.

Quid notat ſtellula ſine tractu?

Stellula ſine tractu, & in ore inſuper album ſignum, ineptum Equum notat, & mali oris: ſed poſterior ſiniſter per albus corrigit vitium.

CAP. XX.

Quotuplices ſunt pedes Equini?

Bifariam duplices; Anteriores & Poſteriores, Dextri & Siniſtri.

In quibus pedibus eſt obſervandus albus color?

Vel in ſingulis, vel in conjunctis.

Quid notat albus color in Anteriore dextro pede?

In anteriore dextro pede notat tractabilem, boni ſenſus, ſed raró agilem Equum.

Quid notat albus color in anteriore ſiniſtro pede?

In anteriore ſiniſtro pede, non magni ęſtimandus eſt, ſine aliis ſci. bonitatis ſignis.

Quid notat albus color in poſteriore dextro pede?

In poſteriore dextro pede notat ſuperbum, vitioſum, & infortunatum Equum.

Quid notat albus color in poſteriore ſiniſtro pede?

In poſteriore ſiniſtro pede magnifaciendus eſt, & notat plerunque cordatum & celerem Equum.

CAP. XXI.

Quotupliciter conſiderantur Conjuncti pedes?

Dupliciter; vel omnes ſimul, vel non omnes.

Quid notat albus color in conjunctis pedibus omnibus ſimul?

In conjunctis pedibus omnibus ſimul notat ſincerum, bonæ phantaſiæ, ſed rarò fortem Equum.

Quotupliciter conſiderantur conjuncti pedes non omnes?

Dupliciter; vel directi, vel Tranſverſi.

CAP. XXII.

Quid notat albus color in Conjunctis Anterioribus?

In conjunctis anterioribus pedib. non eſt bonum ſignum: notat enim infortunatum & ineptum, quamvis poſterior ſive dexter ſive ſiniſter ſimul ſit albus. Dictat enim ratio, quod Equus plus albedinis retrò quam ante debeat habere; quia albus color aliquam imbecillitatem notat, propter temperamentum aëris; & Equus etiam magis nitatur anterioribus quam poſterioribus.

Quid notat albus color in Conjunctis poſterioribus?

In conjunctis poſterioribus pedibus eſt optimum ſignum; & eo magis, ſi etiam albam ſtellulam in fronte habeat: ſi verò alterum ex anterioribus etiam album habere contingat ſine ſtellula, non tanti valoris erit.

Quid notat albus color in Conjunctis dextris?

In conjunctis dextris pedibus eſt periculoſum ſignum, & nihili faciendum.

Quid notat albus color in Conjunctis ſiniſtris?

In conjunctis ſiniſtris pedibus quamvis non ſit bonum ſignum, non tamen tam malum eſt, quàm in conjunctis dextris.

CAP. XXIII.

Quotuplices ſunt Conjuncti Transverſi Pedes?

Duplices; vel Anterior dexter, & Poſterior ſiniſter; vel Anterior ſiniſter, & Poſterior dexter.

Quid notat albus color in Anteriore dextro & poſteriore ſiniſtro?

In anteriore dextro & poſteriore ſiniſtro, non eſt bonum, ſed nec etiam tam malum ſignum, quam in alteris tranſverſis.

Quid notat albus color in Anteriore ſiniſtro & poſteriore dextro pede?

In anteriore ſiniſtro & poſteriore dextro, eſt malum ſignum, periculoſum & ad caſum pronum equum denotans.

CAP. XXIV.

Quomodo cognoſcuntur interna bona?

Interna bona cognoſcuntur ex qualitatibus quatuor Elementorum, in enumeratis coloribus relucentium.

IOANNIS MELCHIORIS MADERI

EQUESTRIÆ LIBER SECUNDUS DE HIPPEVTIKA.

CAPUT PRIMUM.

Quid eſt Hippeutika?

HIppeutika eſt altera pars Equeſtriæ, quæ Equitem, & quæ ad eum, conſiderat.

Quid eſt Eques?

Eques eſt Homo, ſe ipſum & Equum regere gnarus.

Quot ſunt conſideranda in Equite?

Duo; Rectio ſui, & Rectio Equi.

Quotupliciter conſideratur Rectio ſui?

Dupliciter; antequam conſcendat, & poſtquam conſcenderit.

CAP. II.

Quotuplicia ſunt conſideranda antequam conſcendat?

Duplicia; Quædam Conſcenſuro, & quędam Conſcendenti.

Quot ſunt conſideranda Conſcenſuro?

Duo; Unum Equi, alterum Equitis gratia.

Quot ſunt conſideranda Equi gratia?

Duo præcipuè; 1 ut catenula ſuo loco & bene diſpoſita ſit; 2 ut cingula ſit probè ſuccincta.

Quid eſt conſiderandum Equitis gratia?

Ut ſtapedes ſint æquali & juſta, hoc eſt proprii brachii longitudine, ut Eques erectus in ephippio pugni lato ab eo diſtet; quamvis præſtet dextrum ſtapedem dimidio foraminis unius longius protendi.

CAP. III.

Quot ſunt conſideranda Conſcendenti?

Duo; unum Equitis, alterum Equi gratia.

Quid eſt conſideraudum Equitis gratia?

Ut commoditas conſcendendi, vel ad ſcamnum, ſaxum, aut aliud quod elevatum quę

ratur, & ſemper obſervetur: cui rei inprimis aſſueſcendum.

Quot ſunt conſideranda Equi gratia?

Duo; [1] ut paullùm ſubſiſtat; [2] ut Equo blandiatur.

Quomodo blandiendum Equo?

Collum ſupremum inverſa ſcutica fricando, manuq; mulcendo, & poſt ephippium leniter palpando; non ſepoſitis verbis amicis.

CAP. IV.

Quid conſiderandum poſtquam conſcenderit?

Oportet eum ita ſedere, & quaſi ſtare ſupra caballum, ut habeat ſecuritatē & libertatem ſuæ perſonæ, & gratiam à ſpectatoribus.

Quotuplicia ſunt iſta?

Duplicia; Quædam reſpiciuut Animum, quædam Corpus.

Quid conſiderandum in Animo?

Animus ſit magnus, ſibi ipſi fidens, & virtutem nō tam à caballo, animali inexpugnabili, quam à ſeipſo ſumens; ita etiam Equus eo magis, ſi bene inſtitutus fuerit, ipſi in omnem caſum obedientiſſimus erit.

CAP. V.

Quotuplicia ſunt conſideranda in Corpore?

Duplicia; vel totius Corporis, vel ejus partium.

Quid conſiderandum in toto Corpore?

Corpus ſit rectum, erectum, firmum & juſtum, ut pectus ſuum Equi capiti exactè reſpondeat & ad amuſſim, ſedeat recto dorſo immobilis fortiſſimuſq; inſtar Centauri, ſublevando & ejiciendo ſe extra & intra, de ſaltu in ſaltum juſto modo.

Quotuplices ſunt partes corporis?

Duplices; Principales & minus principales.

Quot ſunt partes corporis principales?

Duæ; Caput & Brachium.

CAP. VI.

Quot ſunt conſideranda in Capite?

Duo; Unum, in ipſo capite, alterum in vultu Capitis.

Quid eſt conſiderandum in ipſo capite?

Cavendum ſedulò ne caput deorſum flectatur, aut ad latus, nec etiam relevetur retrò,

ſed rectum teneatur & firmum, ut corpus ſit rectiſſimum.

Quid eſt conſiderandum in vultu?

Vultus ſit hilaris & lætus, gratiæ ſpectatorum conciliandæ.

CAP. VII.

Quot ſunt conſideranda in Brachio?

Duo; Ipſum brachium, & manus brachii.

Quid eſt conſiderandum in ipſo Brachio?

Brachia portanda aëroſa & quaſi inarcata, ut libera ſint & promptiora.

Quot ſunt conſideranda in Manu?

Duo; Ipſa Manus, & quæ ſunt in Manu.

Quid eſt conſiderandum in ipſa manu?

Dextra manus, cum alicui loquendum fuerit ad illam, pari altitudine cum ſiniſtra tenenda eſt.

CAP. VIII.

Quot ſunt conſideranda, quæ in Manu?

Duo; Unum in dextra, alterum in ſiniſtra.

Quid conſiderandum in dextra?

Dextra manu tenenda eſt Scutica.

Quot ſunt conſideranda in ſiniſtra?

Duo; Frenum, & Habena.

Quomodo tenendum eſt Frenum?

Minimo digito ſemper intra frenum jacente, plena manus ita ducenda eſt, ut mons Veneris cum linea vitæ ſurſum; pollex autem ſupra frenum, dextram ſpectet.

Quomodo tenenda eſt Habena?

Habena ita tenenda eſt, ut minimus digitus ſemper extra illam, annularis intra jaceat.

CAP. IX.

Quotuplices ſunt partes corporis minus principales?

Duplices; Superiores & Inferiores.

Quot ſunt partes ſuperiores?

Una; nimirum dexter Humerus.

Quid conſiderandum in dextro Humero?

Dexter Humerus aliquantulum magis promineat quàm ſiniſter.

CAP. X.

Quot ſunt partes Inferiores?

Duæ; Coxendix & Crus.

Quid conſiderandum in Coxendice?

Coxendix ſellam ita amplectatur, & ſeſe quaſi irradicet, ut genu ſit ſolutum ad ſuccur-

ren-

rendum cum libera flexione, adjuvando vel caſtigando.

Quid conſiderandum in Crure?

Crus ſit pendens & ſolutum, cum acumine pedis elevato, ne etiam calcaria in Equi ventrem, ſed foràs vertantur.

CAP. XI.

Quotuplex eſt rectio Equi?

Duplex; Auxilii & Caſtigationis.

Quotuplex eſt auxilium?

Duplex; Proprium & Aſſumptum.

Quotuplex eſt Auxilium Proprium?

Duplex; Vocis & Motus.

CAP. XII.

Quid eſt Auxilium Vocis?

Quando voce excitatur Equus, qua plus ſæpe corrigitur, quam alio quocunq; auxilio.

Quotuplex eſt Auxilium Vocis?

Duplex; Depreſſæ & Sonantis.

Quid eſt Auxilium Vocis depreſſæ?

Auxilium vocis quo magis depreſſæ & placidæ fuerit, eo gratius Caballo erit.

Quid eſt Auxilium Vocis Sonantis?

Hilari & ſonante voce tantum in operis u-

tendum, qua ad eas excitatur; non autem coram Principe aut Equite.

CAP. XIII.

Quotuplex eſt Auxilium Motus?

Duplex; Linguæ & Cruris.

Quid eſt Auxilium Linguæ?

Tonus Linguæ, quamvis non ſit multæ relevationis, tamen ne ſemper voce opus ſit, & nihilominus Caballus ſollicitus retineatur, adjuvamus eum iſto ſono.

Quomodo fit iſte Sonus?

Fit ſuperius palatum extremitate Linguæ tangendo, & ita quaſi crocitando.

CAP. XIV.

Quid eſt Auxilium Cruris?

Crure adjuvatur æquus in operis, ſaltibus, nexibus, aliis, ſuccurrendo & adjuvando illum cum tempore ad menſuram & conſonantiam, moto crure cum dexteritate.

Quotuplex eſt Auxilium Cruris?

Duplex; vel in Equo ardente, vel pigro.

Quid eſt Auxilium Cruris in Equo ardente?

Si Caballus multi ſenſus & ardoris fuerit,

ſolidum & firmum tenendum eſt crus, aſcendendo cum eo in tempore, & firmando illud.

Quid eſt Auxilium Cruris in Equo pigro?

Si Equus piger & ſomnolentus fuerit, non opus ſoliditate & firmitate iſta Cruris.

CAP. XV.

Quotuplex eſt Auxilium Aſſumptum?

Duplex; Equitis & Equi.

Quotuplex eſt Auxilium Aſſumptum Equitis?

Duplex; Calcarium & Scuticæ.

Quid eſt Auxilium Calcarium?

Calcaria plurimum efficiunt; excitant, vivificant, rectificant, impellunt, flectunt, caſtigant, redduntque promptum, obedientem & reſolutum Equum.

Quomodo fit Auxilium Calcarium?

Quando pungitur Equus apud cingulam, nunc ante, nunc poſt, jam ab hoc, jam ab illo latere, jam utrimque, ſecundum plus aut minus, prout Caballus durus, piger, ſenſitivus, vanus, vitioſus, ardens, habilis aut levis fuerit.

CAP. XVI.

Quid eſt Auxilium Scuticæ?

Scutica tenenda eſt ſoluta & facilis ad o-

omnem operam, excitans & incitans Caballum ad omnem operationem.

Quotuplex eſt Auxilium Scuticæ?

Duplex; Rectæ vel Obliquæ.

Quotuplex eſt Auxilium Scuticæ Rectæ?

Duplex; ſurſum, vel deorſum.

Quid eſt Auxilium Scuticæ Rectæ ſurſum?

Ad præſentãdam ſui & Caballi perſonam, portanda eſt ſcutica alta, recta & erecta.

Quid eſt Auxilium Scuticæ Rectæ deorſum?

Ad ſuccurrendum in tempore ſcutica flexa tenenda eſt ad latus deorſum.

Quid eſt auxilium Scuticæ Obliquæ?

Ad deambulandum per urbem, verſus ſiniſtram flectenda eſt ſcutica, extremitate ejus ſupra dextrum Equi humerum jacente.

CAP. XVII.

Quid eſt Auxilium aſſumptum Equi?

Frenum.

Quid eſt Auxilium Freni?

Si volueris adjuvare & impellere Caballum

lum freno, flectas ſolummodò manum, pollicem paullùm attollendo, ſine omni vi, omnique brachii commotione: ſi verò caſtigare (quod quidem non ſuaſerim, niſi in caſu neceſſitatis) attollas pugnum, & unam aut alteram alapam ei impinges, prout opus fuerit.

Quotuplex eſt Auxilium Freni?

Duplex; Medium & Extremum; pro loco, quo tenetur Frenum.

CAP. XVIII.

Quid eſt Auxilium medium Freni?

Quando frenum tenetur in medio loco inter ſetas & arcum ephippii; & facit ad temperandum Caballum.

Quotuplex eſt Auxilium extremum Freni?

Duplex; Imum & Summum.

Quid eſt auxilium imum freni?

Quando tenetur propter ſetas, & eo firmatur Equus.

Quid eſt auxilium Summum freni?

Quando tenetur prope arcum, & altius vix attollitur: eo autem datur Equo Libertas.

CAP. XIX.

Quid ſunt Caſtigationes?

Caſtigationes ſunt eædem cum auxiliis, niſi quod in caſtigationibus vehementiorem oportet eſſe Equitem.

EQVESTRIÆ FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Google

3